

ÆTHER ET ÆTHEREA. 187

Affunde caute et paulatim ita, ut ad latera vasis vitrei defluat,

Alcoholis concentrati libram unam.

Digere frigide per viginti quatuor horas.

VIRTUS : Antizymica ; roborans.

USUS : Dyspepsia, flatulentia, pyrosis; erethismus; ataxia.

DOSIS : Guttas decem — triginta, in haustu aquæ vel vini albi generosi bis terve de die.

ÆTHER ET ÆTHEREA.

ÆTHER ACETICUS.

SYN. *Naphtha Aceti.*

℞. Acetatis Potassæ vel Sodæ siccati uncias octo.

In retortam vitream inmissis affunde

Miscellam prævie paratam ex

Acidi sulphurici unciis tribus, et

Alcoholis concentrati unciis sex.

Leni igne destilla uncias sex.

Liquori destillato adde

Carbonatis potassæ liquidi unciam semis.

Ætherem acido omni hoc modo privatum supernatantem mox decanta, et in vase probe clauso usui serva.

ÆTHER ACETICUS ALCOHOLISATUS.

SYN. *Liquor anodynus vegetabilis.*

℞. Ætheris acetici unciam unam.

Alcoholis uncias duas.

Misce.

VIRTUS, USUS et Dosis eadem ac Ætheris Sulfurici.

ÆTHER ACETICUS FERRATUS.

SYN. *Tinctura ferri acetici ætherea* (KLAPROTH).

℞. Acetatis ferri liquidi uncias novem.

Ætheris acetici alcoholisati uncias tres.

Misce.

USUS et Dosis eadem ac ætheris sulfurici ferrati.

ÆTHER MURIATICUS (BRUGNATELLI).

℞. Muriatis potassæ oxygenati uncias decem.

Alcoholis concentrati uncias quinque.

Misce et affunde paulatim

Acidi sulfurici uncias quinque.

Digere frigide per noctem; dein ætherem supernatantem decanta et in vase clauso usui serva.

NB. Si acido sulfurico inquinatus sit, adde portionem muriatis oxygenati potassæ pulverisati et filtra; aut cum portione potassæ liquidæ lento igne destilla.

Vel methodo WENZEL:

℞. Muriatis stibii oxygenati partem unam.

Affunde caute et gradatim

Alcoholis concentrati partes duas.

Dein adde

Calcis (vel Carbonatis calcis) pulv. partem unam.

Probe mundato collo retortæ et juncto per lutum crassum excipulo, relinque massam per octiduum; dein leni igne destilla.

VIRTUS, Usus et Dosis eadem fere ac ætheris sulfurici.

ÆTHER NITRICUS.

SYN. *Naphtha Nitri.*

℞. Nitratis potassæ fusi pulv. libras sex.

Immitte in retortam vitream tubulatam cum apparatu destillatorio *Woulfiano* probe luto juncto et tubulis securitatis *Weltheri* instructo; dein gradatim adde per tubum recurvatum tubulo retorta adaptatum miscellam prævie pro hoc usu paratam ex

Acidi sulfurici et

Alcoholis ana libris tribus.

Tunc demum ignem lenissimum sub retorta administra et destilla. In excipulo primo et secundo sic colligitur æther nitricus, in tertio et quarto æther nitricus alcoholisatus; quintum aqua ad medietatem repletum tenetur.

NB. Lutum optimum pro hoc apparatu est pasta post expressionem olei lini remanens aqua humectata.

Vel methodo BLACK :

℞. Acidi nitrici libras duas.

Immitte in phialam amplam; dein caute et lente adde

Aquæ destillatæ libras duas,

Ita ut secundum latera vasis lente descendat. Sic supernatabit acido; dein eodem modo affunde lente et caute

Alcoholis concentrati libras tres,

Quod supernatabit aquæ. Hi tres liquores ita separati seponantur in loco frigido. Acidum gradatim per aquam ascendit (aqua ut limes agit impediens subitam acidi et alcoholis inter se actionem) seque cum alcohole jungens, ætherem nitricum alcoholisatum constituit sine periculo explosionis.

VIRTUS : Sedativo-refrigerans; antispasmodica; diaphoretica; diuretica.

USUS : Morbi flatulenti, spasmodici.

DOSIS : Guttæ viginti — sexaginta in vehiculo.

ÆTHER NITRICUS ALCOHOLISATUS.

R. Ætheris nitrici,

Alcoholis concentrati, ana partes æquales.

Vel :

℞. Ætheris nitrici partem unam.

Alcoholis concentrati partes duas.

Misce.

ÆTHER SULFURICUS.

SYN. *Æther vitriolicus ; æther seu Liquor*
MANCHINI ; Liquor FROBENII ;
Naphtha vitrioli.

℞. Alcoholis concentrati libras sex.

Affunde paulatim in retorta vitrea

Acidi sulfurici libras sex.

Pone super balneum arenæ calefactum,
et luto junge excipula duo ampla, quorum
primum vasi terreo, aqua frigidissima vel
glacie semper pleno, immersum sit. Igne
caute admoto prodit primo alcohol odore
suaveolenti ; et sequitur mox forma striarum,
quamprimum massa in retorta ebullire incipit, æther. Dum striæ formari
cessant, sequitur oleum vini, et ad finem
demum acidum sulfurosum. Illico ergo,
dum striæ formari desinunt, apparatus

separa, et liquori in retorta remanenti af-
funde

Alcoholis concentrati libras duas.

Continua destillationem ut ante. Hæ
destillationes hoc modo sæpius repeti pos-
sunt, additis successive alcoholis libris quin-
decim; et sic ætheris boni libræ decem
obtinentur.

Si ætheris sic obtenti unciiis triginta
duabus additur potassæ liquidæ uncia una,
et agitata probe massa destilletur lenissimo
ignis gradu in balneo arenæ, acidum sulfu-
ricum vel sulfurosum ætheri adhærens po-
tassæ sese jungit, et æther purus prodit
in excipulum, cujus media pars primo pro-
diens est æther purissimus, qui separatim
servari potest.

Gravitas specifica ætheris sulfurici puri
ad aquam destillatam est ut 752 ad 1,000.

VIRTUS : Excitans volatilis; sedativa; an-
tispasmodica; diaphoretica; potenter diu-
retica.

Usus internus : Spasmi; convulsio; epi-

lepsia ; hysteria ; hypochondriasis ; cephalæa, cardialgia ex podagra atonica ; arthrodynia arthritica vel rheumatica ; paralysis ; asthenia generalis ; dolor nervosus ; vomitus nervosus ; singultus ; pertussis ; morbi ventriculi et intestinorum flatulenti, spasmodici.—*Externus*: Odontalgia ; cephalalgia alique dolores rheumatici et spasmodici, humectando æthere linteum ejus magnitudinis ut palma manus tegi possit, quo pars illico tegitur pre-mendo fortiter ita ut evaporatio ejus impediatur, et tenendo sic per duo aut tria minuta (WARD).

DOSIS : Guttæ sex—decem—viginti, in haustu emulsionis camphoratae, vel cum saccharo, vino aut alcohole.

ÆTHER SULFURICUS ALCOHOLISATUS.

SYN. *Liquor anodynus mineralis* HOFFMANNI ; *Spiritus ætheris vitriolici* Ph. E. ; *Spiritus sulphurico-æthereus* Ph. B. ; *Spiritus æthereus* ; *spiritus*

*cæthereus vitriolatus ; spiritus vitrioli
dulcis.*

℞. Ætheris sulfurici partem unam.

Alcoholis concentrati partes tres.

Misce agitando et in vase probe clauso
usui serva.

Vel melius :

℞. Ætheris sulfurici,

Alcoholis concentrati ana partes æquales.

Misce.

VIRTUS et USUS idem ac ætheris sulfurici.

DOSIS : Guttæ octo—triginta, sæpius de die
cum vehiculo.

ÆTHER ALCOHOLISATUS

ad modum FR. HOFFMANNI.

SYN. *Liquor anodynus mineralis HOFF-*
MANNI ; Spiritus ætheris vitriolici
compositus. Ph. L.

℞. Ætheris sulfurici libras duas.

Olei vini volatilis drachmas tres—qua-

tuor.

Misce.

NB. Hæc videtur esse genuina liquoris anodynæ mineralis a F. Hoffmanno inventi præparatio; nam auctor dicit sese eum ex spiritu vitrioli dulci et oleo aromatico, post eundem in excipulum transeunte, parasse.

ÆTHER SULFURICUS CAMPHORATUS.

SYN. *Æther camphoratus; solutio camphoræ æthereæ; liquor nervinus.*

℞. *Ætheris sulfurici (vel ætheris sulfurici alcoholisati) uncias tres.*

Camphoræ scrupulos sex.

Misce ut fiat solutio.

VIRTUS: Eximia sedativa; antispasmodica.

USUS: Cardialgia spasmodica; præcipue ex podagra atonica; vomitus spasmodicus; singultus; dolor nervosus.

DOSIS: Guttæ decem — quindecim cum saccharo aut alcohole; et in cardialgia aut asthmate podagricis uncia dimidia per se, vel cum vehiculo proprio bis terve de die.

ÆTHER SULFURICUS FERRATUS.

SYN. *Tinctura nervina* HALLENSIS; *Tinctura tonico-nervina*; *tinctura aurea*.

℞. Muriatis ferri liquidi unciam unam.

Affunde

Ætheris sulfurici uncias duas.

Relinque per quadrantem horæ, quo elapso æther ferro imprægnatus et acido supernatans caute decantetur, et sic per se, vel si placet mixtus cum

Alcoholis concentrati uncia una semis

In vase probe clauso usui servetur.

Vel methodo IUCH:

℞. Ætheris sulfurici uncias duas.

Ætheris sulfurici alcoholisati uncias sex.

Mixta affunde bene agitando

Oxydi ferri rubri unciae uni.

Digere per plures dies frigide; dein decanta liquorem et in vase probe clauso usui serva.

Usus: Spasmi, alique nervorum morbi asthenici.

Dosis: Guttæ quindecim ad quadraginta.